Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1587
Quelle:
Copyright:

c. 5. verbis: *omnium principium sine causa* &c. Exemplar igitur perfectum ope utriusque Codicis confit.

DCLXXVI.

R. 3168 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 250. f. per duas columnas exaratus, coloribus distinctus et olim Coenobii *Novimontani* Ord. Cist. in *Styria* complectitur *Bartholomaei de Glanvilla* dicti *Anglici* O. M. inter praecipuos ejusdem Seculi Φυσιογραφους referendi Libros XIX. *de Proprietatibus Rerum* saepius excusos, in plures linguas traductos, et non semel hic a me memoratos, in quibus omnia pro aevi genio, obtorto non raro collo, ad *Moralitatem* trahuntur, quae in praesentis Exempli marginibus sedulo adnotatur. Est illud integrum, praemisso Rerum naturalium Indice, et Prooemio auspicante: *Cum proprietates rerum sequantur substantias* &c. Ad calcem ab alia manu Moralium Index accessit. Παρεργα sunt: 1) Tabulae anteriori adglutinata Charta data *nach christes gepurd Drewtzehenhundert Jar darnach in dem Acht vnd Newntzgistem Jar An dem Achtisten tag nach sand Johannis tag Götztawffer*, qua *Jacobus* Abbas et Conventus *uon dem Newnperg* recognoscunt locum Sepulchri et Sacra piacularia pro se suisque fundata a *Rudolfo Schenckh zum Wolfsperig*. Testis adducitur *Nicolaus* Abbas *S. Crucis*, quem *Novimontani* adpellant *unser Weiser*, puto, quod Colonia *Novimontana* e *S. Crucis* Coenobio deducta fuerat. 2) Methodus cognoscendi tempus Incensionis Lunae. 3) Virtutes *Olei Laterum* in curandis externis Corporum malis germanice enumeratae: *Wil dw van einen czigel Öl prennen daz also güt ist vnd grazze chrafft hat als der recht balsam* &c. Olei hujus etiam *Philosophorum* dicti, et ab Alchymistis olim praedicati conficiendi ratio in antiquioribus *Dispensatoriis* legitur.

DCLXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 69. f. per duas columnas nitide scriptus, multis tamen vocum compendiis, coloribus illustratus et quondam *Job. Fabri Vienn.* Episcopi Opus allegoricomorale est e multis Scriptoribus ordine alphabetico congestum, cui, ut in fine *Prologi* dicitur, *Johannes* summus Pontifex nomen *Luminis Animae* imponi voluit. Incipit hic Prologus: *Summi mihi pontificis gratia fauente* &c. narratque, Autorem XXX. *annis minus uno* in compilando hoc Opere desudasse datis sibi in auxilium *Leone*, *Amando*, *et Seuerino triplici lingua peritissimis*, qui e Graeco in Latinum transferrent libros undique e *Gallia*, *Alemania*, *Anglia* conquisitos, quorum longus texitur Catalogus. Huic Catalogo quo minus immorer, repetita facit hujus *Luminis Animae* impressio, quarum *Sorgiana Augustae* 1477. f. mihi adjacet, U. 737